

insulas migratum, quod sine hostium interventu apparebat vix fieri potuisse. Sed quid nos de ea re sentiamus, non multo post declarabitur: nam hinc fere oritur illa de urbis origine variatio, ut alii alio tempore eam conditam scribant. Sunt quidem non pauci, qui anno salutis CCCCXXI. jacta prima urbis fundamenta dicant, quo tempore Hunnici belli fama cœptum sit in Italia trepidari. Nam per id tempus, aut certe non multo ante, Hunnus, Danubio superato, Macrinum Pannoniae & Macedoniæ præfectum ingenti prælio vicit: quo successu elatus, ad occidentis Imperium evertendum animum adjecit. Reclamant alii in hanc opinionem, tanquam ineptam: audentque affirmare, sub ipsum Aquilejæ ac reliquæ Venetiæ excidium urbem ipsam primo fundari cœpisse, quod aliquot inde interjectis annis accidisse manifeste constet. Sed nihil prohibet, nos credere ad primos hujus belli motus nobilissimum ac ditissimum quenque cum non parva necessiorum manu fugam præoccupasse, atque his auctoribus cœptum esse ædificari in his locis, quæ primo tenuissent: inde procedente tempore, ubi hostis Italiam invasisset, tum frequentius undique in has insulas concursum, cœptumque urgente necessitate, passim loca inhabitari: atque ita factum, ut diversa credatur urbis Venetæ origo. Nos vero ne quid confuse dicere videamus, eorum sententiaæ libenter accedimus, qui ante Aquilejæ eversionem Venetias conditas ajunt: quod ipsum qua ratione sit factum, ordine explicabo. Venetiarum urbis origo, quantum eorum lectio-  
ne, qui de re ipsa diligentius scripsere, consequi potuimus, in hunc ferme modum se habet. Quum jam Hunnici belli terror Italiam populos invasisset, esletque omne Venetum no-  
men ut periculo proprius, ita ob id vehementer sollicitum ( vulgo enim ferebatur, Hunnos in Italiam moturos ) eorum feritas, quæ plus quam barbara in Christiani nominis viros esse tradebatur, effecit, ut ex priscis Venetis, qui cir-  
ca Hadriaticum sinum amœnissima loca incolebant, alii alias propinquas maris insulas fuga occuparint: fueruntque viri illustres, ac mira prædicti religione, a quibus fuga orta dici-  
tur. De reliquis locis omnino non habeo quid affirmem. Ex  
dua-

*De Origine  
urbis Vene-  
tæ, opinio-  
nes variae.  
Quo anno,  
loco, & dia  
ædificari  
copta.*

421